

1539 que Rege, nullis honoris, aut benevolentiae significationibus editis, discessit.

*Thomas Contarenius orator a Turcis dimissus Venetias proficiscitur.*

Cum his de rebus Contareni literis Senatus certior esset factus, ingens sollicitudo Patrum animos incessit. Hinc iniquae pacis conditiones, inde belli difficultates obversabantur, cum nullus ex icto cum Principibus foedere per tot civium labores, atque immanes sumptus fructus perciperetur: praeclarae gerendarum rerum opportunitates amissae; Neocastrum ab Hispanis occupatum; commeatus pernegati; ambigua auxilia, pericula certa; multa ad ostentationem composita; pollicitationes ingentes, quarum spe Respublica illecta sensim contabesceret. Nam Caesar, qui specioso sermone se hoc anno in expeditionem adversus Turcas iturum professus fuerat, nunquam ex Hispaniis discesserat, Petrusque Mocenicus legatus hoc eodem tempore Senatui significabat, illius provinciae urbes, & conventus Carolo discessum gravibus, atque audacibus verbis inhibuisse. Ea quoque suspicionem augebant, quae Contarenius classis legatus e Corcyra per eos dies scripserat: de concordia inter Caesaris ministros, atque Chariadenum agi; Joannem a Lego, & Siciliae Archondam Marchionis Anguillariae triremi ad eam insulam delatos, celoce petita, ad Prævesam illum convenisse, ac de captivis permutandis negotio confecto, varia agitare, muneraque detulisse. Sub id quoque tempus Joannis Hungariae Regis legatus Venetias accessit, egregiumque illius in Rempublicam animum exposuit: cupere arctiori amicitiae vinculo Reipublicae adstringi: id communibus rebus usui fore, quod aequae Turcarum potentiam suspectam haberent; ac ne de concordia cum illis ineunda consilia abjicerent, Patres hortabatur, cum ob Christianorum Principum similtates, atque intestina odia nullum in rem communem satis firmum praesidium expectari posset; constaretque, quamdiu pro Caesare hinc Pannoniae regnum, inde maritimae Reipublicae ditiones veluti firmissimi aggeres, ac propugnacula communi hosti objicerentur, nihil illum in Turcas unquam acriter moturum. Gratiis Regi actis, quamvis de ineunda societate ea tempestate nihil perficeretur, tamen illius propensus in Rempublicam animus Senatui pergratus erat; quodque parem cum Republica fortunam subiret, libenter ejus consilia audie-

*Hispani duces ad Chariadentem suos homines mittit.*

*Joannes Hungariae Rex Venetias legatum mittit.*